



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

106. De infirmis qui confitentur peccata sua, & se reconciliari exposcunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

firmari in sua plebe, quàm citiùs ad eum per-  
gat, & ingressus cubiculum, aquam benedi-  
ctam super eum & per omne cubiculum asper-  
gat, cum antiphona *Asperges me Domine*  
& versu *Exurgat Deus*. Deinde dicat oratio-  
nem: *Deus qui sacerdotibus tuis tantam præ ce-  
teris gratiam contulisti*. Deinde cantet septem  
psalmos cum precibus pro infirmis. Post hæc  
omnes jubeat extra cubiculum secedere, &  
adpropinquans lecto quo infirmus decumbit,  
eum blandè lenitèrque alloquatur, ut omnem  
spem suam in Deo ponat, ut flagellum Dei pa-  
tienter toleret, ut hæc ad purgationem & ca-  
stigationem suam provenire credat, ut pecca-  
ta sua confiteatur, ut emendationem promit-  
tat, si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam  
pro culpis commissis spondeat, ut sub-  
stantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in  
eo viget, disponat, ut peccata sua elemosynis  
redimat, ut his qui in se peccaverunt indul-  
geat, ut rectam fidem & credulitatem teneat,  
ut de Dei misericordia nunquam desperet.  
Cùm his & hujuscemodi allocutionibus fuerit  
mens infirmi relevata, data benedictione sa-  
cerdos recedat, non post multum reversurus,  
détque locum ut ægrotus de peccatis suis pos-  
sit cogitare.

De infirmis qui confitentur peccata sua & se  
reconciliari exposcunt. *Ex quo supra.*

CVI. Infirmus, qui necessitate mortis ur-  
gente confitetur peccata sua, sub ea condi-  
tione à sacerdote reconcilietur, ut si ei Domi-  
nus vitam donaverit sanitatèrque reddiderit,

E iiij

Burchard.  
lib. 18. in ar-  
gumento.

Concil. Nan-  
net. c. 5.  
Burchard. lib.  
18. c. 3.



72 R E G I N O N I S L I B. I.  
secundum qualitatem delicti omnimodis pœ-  
niteat.

De reconciliandis infirmis. *Ex Concilio  
Niceno.*

Concil. Ni-  
cæn. c. 13.  
Burchard. lib.  
18. c. 6.

CVII. De his qui ad exitum veniunt,  
etiam nunc relaxatio antiqua regularisque ser-  
vabitur, ita ut si quis egreditur è corpore, ul-  
timo & necessario viatico minimè privetur;  
quò si vel desperatus, & consecutus commu-  
nionem, oblationisque particeps factus, ite-  
rum convaluerit, sit inter eos qui commu-  
nionem orationis tantummodo consequuntur.  
Generaliter autem omni cuilibet in exitu posi-  
to & poscenti sibi communionis gratiam tri-  
bui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare  
debebit.

De eadem re. *Ex epistola Leonis Papa.*

Leo 1. ep. 91.  
Burchard. lib.  
18. c. 4.

CVIII. His autem qui in tempore ne-  
cessitatis & in periculi urgentis instantia præ-  
sidium pœnitentiæ, mox reconciliationis im-  
plorant, nec satisfactio interdicenda est, nec  
reconciliatio deneganda; quia misericordiæ  
Dei nec mensuras possumus ponere, nec tem-  
pora definire, ad quem nulla impedit venire  
mortis conversio, dicente Dei spiritu per Pro-  
phetam: *Cum conversus ingemueris, tunc sal-  
vus eris.* Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut  
iustificeris.* Item: *Quia apud Dominum miseri-  
cordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In  
dispensandis itaque donis Dei non debemus  
esse difficiles nec se accusantium gemitus la-  
crymasque negligere, cum ipsam pœnitendi